DE SECVRITATIS PROMISSIONIBVS, ET FIDE publica.

Liber Vnus.

PETRO PREMO IVRISCONſulto Clariſſ. & Ducum Saxoniæ &c. Conſiliario, Autore.

SALOM. PRO. XXIX.
Iudicio Rex ditionem firmam facit.



SPIRÆ NEMETVM
Typis & ſumptibus Ioannis Taſchneri.
Anno 1609.

PIO, ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO Principi, ac Domino, Dn. Ioanni Friderico, natu minori, Saxoniæ Duci, Landgrauio Thuringiæ, & Marchioni Misniæ, Domino suo clementissimo, Petrus Premus Iurisconsultus

S. D.

NATVRA OPTIMI QVIQVE posteritati maximè prospiciunt, & seruiunt: excellentiis autem alijs, literati homines, qui cognitionem habēt antiquitatis, & ex præteritis futura metiuntur, atq; studia religionis, Iuris, aliarumq; bonarum artium, incorrupta conseruant, illustrāt, & cum memoria, pietate, virtute, & consilio præstantissimorum virorum, ad posteros propagant. Etsi autem ego meam mediocritatem agnoscam, tamen cùm hisce grauissimis temporibus, multæ quæstiones nascantur de fide, & fide publica, vt pro mei ingenij tenuitate consulerem præsentib. & futuris temporibus, studui quæ de ea re disperse, confuse, & in multis etiam corruptem scripta essent, col-

ligere, disponere, & diiudicare, atq; illustrare exemplo parentis tui, Illustrissimis Principis Electoris, quo præclarius nostra ætas non tulit. Vt enim de ipsius spectatissima Euangelij, & fidei in Christum confessione, iam non dicam, fidem quam dederat hosti, tanta cõstantia seruauit, vt hac ipsa animi integritate, ad admirationem, laudẽ, & clementiam omnes permouerit. In administratione autem suarum Prouinciarum, magnopere studebat, itinera tuta custodire. Et cum Nobilis quidam hominem vilem, qui publicam acceperat fidem, in itinere spoliasset, Patri tuo nunquam potuit reconciliari, & perpetuo exilio, ad extremam redactus est fortunam. Iudicia autem libera & tutissima esse voluit, atq; ipsam vocationem in Ius, vel ad Principem, publicam fidem continere censebat, nec fidem datam violare passus est. Miseros etiam reos ad confessionem delictorum, spe veniæ, permouere prohibuit. Et cum præfectus quidã imprudentius criminoso promisisset, Principem, si maleficium detexisset, ei pœnam remissurũ, mandauit perfecto, vt promissis satisfaceret: nephas iudicans aliquem sub Principis nomine, & Magistratus fide, & autoritate decipi

cipi. Atque in omni vita sua, publica & priuata, ministris, subditis, & socijs, fidelissimus fuit, & habitus est: ac inprimis testabatur Principibus conuenire, fidem præstare, & exoluere promissa. Hoc autem scriptum, Illustrissime Princeps, tibi dedicare volui, non solum quod hæc parentis tui verissima laus, ad te quoque, non solum ditionum, verumetiã virtutum hæredem, pertineat, præclarum est etenim ab inclyto heröe prognatum esse: verumetiam quod mirificam indolem virtutis in te cognouerim, & liberalis doctrinæ te cupidissimum sciam. Vulgus hominum maximem odit literas, nec mirum, cum non intelligat artes, maxima dona Dei esse, & ad pietatem, & ad disciplinam morum percipiendam, colendamque plurimum conducere, & virtutis magistras esse. Quemadmodum enim Sol, qui astrorum obtinet principatum, oculis, sic literæ animis hominum lumen præstant, Et quantum animi hominnm, imagines diuinitatis, solem cæleste corpus præcellunt, tantum lumen mentis, solis splendore præstantius est. Totus autem mundus conclamaret, amentẽ eum esse, qui solum è mundo tolli velit, quanto ergo vecordiores sunt,

qui literas extinctas optant? Cogitanti autem mihi, & memoria vetera repetenti, non reperio vllum vnquam praecellentem heroa fuisse, qui non ipse doctus, vel doctorum hominum studiosissimus fuerit. Nec quenquã contempsisse literarum studia, literatosq́; homines, nisi quem suijpsius puduit, & post cineres sui memoriam deletam voluit. Bonarum enim disciplinarum, atq; honesti, mutuus est, seu potius coniunctus, & perpetuus amor, resq́; bene gestae, & consulta magnorum virorum, virtutum exempla, sepulta iacerent, nisi monumentis consignata, & mandata essent. Maiores tui religiosi, sapientes, & humanissimi Principes, singulari diligentia, & amore fouerunt doctrinae studia. Fridericus patruus magnus tuus, omni laude cumulatus Princeps, non solùm suos superiores, sed & suae aetatis omnes Principes prudentia antecelluit: quemadmodum audiui à fide dignis viris, Maximilianum Imperatorem dixisse, tres principes Germaniae, tribus rebus maximis sibi praestitisse, Fridericum Saxoniae ducem prudentia, Palatinum Comitẽ potentia, & Episcopum Saltzburgensem pecuniarum copia. Is summi consilij Princeps.

Acade-

Academiam constituit Vuitembergensem, & cum fratre auo tuo, cuius præcipue bonitas celebratur, interdum Iurisconsultorum lectiones audiuisse dicitur. Parens autem tuus, magni & excelsi animi dux, Academia Vuitembergensis, vbi aliquando ipse quoq; publicis disputationibus, in frequentissimo doctorum virorum cœtu, adsedit, priuilegia, & docentium præmia auxit. Atq; auita ditione, ac schola Vuitembergensi amissa, Genæ, in ipsis calamitatibus, aliam constituere curauit. Ipse verò multæ lectionis fuit, religionis doctrinã callebat perfectem, & historias omnium temporum, memoria, qua præditus erat excellentissima, optimẽ tenebat. Horum vestigia vt insistere pergas, & expectationi, quam de tuis studijs, & virtutibus, docti & boni viri conceperunt, satisfacias, Deum optimum maximum precor. Bene vale inclyte Princeps. Datæ Vinariæ. 8. April. Anno 1555.

Præsidentis, iustè timenti detur. *Gulh. de Cun. & Bart. in l. illicitas §. ne potentiores n. 2. ff. de officio præsidis Bolog. in d. Auth. habita nu. 49.* Sed hæc definitio angustior est, quam quæ omnia genera comprehendat, vt patebit ex his, quę iam dicã: apta tamẽ est ad rem, quam explicare suscepi. Et quidem quædam personæ, præter communem securitatem, quã omnes à legibus communibus habemus, singulari fide publica priuilegiatæ sunt. Vt Legati. *l. sanctum ff. de rer. diuis. l. fi. ff. de legatis glos. in l. conuentionum ff. de pactis Bart. in d. §. ne potentiores Laudes. in tract. de legatis princip.* Item Imperatores, Studiosos in singularem susceperunt tutelam. *d. Auth. habita.* & ibi explicant, Bald. Salicet. & Bolog. Addit his Bart. Testes, & omnes, quos oporteat comparere. *in l. 3. §. fi. ff. ad l. Cornel. de Sicarijs argumento l. 2. §. 2. ff. de Iudicijs* Bald. tamen Bannitos iudicat saluo conductu opus habere. *in l. libertas ff. de statu hominũ.* In superiori Germania quędã Iudicia Cęsarea priuilegiũ habẽt, Si iniuria fiat vocatis in iudiciũ, dũ accedunt,

Personæ securitatis ergô singulariter priuilegiatæ.

vel recedunt, vt Iudicii ſecuritas cenſeatur violata, & publicè etiam vindicetur.

Varia Securitatis publicæ genera. Varia autem ſunt Securitatis promiſſionum genera, quarum præcipua breuiter referam. Primùm eſt, cùm pax, vel induciæ fiunt cum hoſtibus, & inimicis, vel aliàs de pace & ſecuritate pacta fiunt inter Duces vel Milites, vel alios, de quibus diſputãt Doctores *in l. conuentionum. ff. de pactis. & in l. qui ſeruum & in l. Si Stipulatus fuero §. ſi ſtipulor. ff. de verbor. oblig. & in l. cum proponas. de pactis & in l. quid ergo §. ſi hæres. ff. de legat. 1. Canoniſtæ in c 1. de Treuga & pace.* & *in c. 3. de Iureiur.* Zaſius in libello de Iudæis, q. 3. & in Apologia contra Ioannem Eckium, & hi, atq; alii Doctores, in infinitis aliis locis. Hoſtibus autem adſcribunt Doctores etiam proſcriptos, & bannitos Imperii, & qui Iuribus municipalibus hoſtes habẽtur, ac de promiſſionibus eis factis, multa diſputant, in locis iam allegatis, & *in l. Iurisgentium. §. Si paciſcar. ff. de pactis.* & latè Nellus in tractatu Bannitorum. Hipolit.

conſ.

conſ.10. & *57.lib.1.* & *conſ.86.* & *106.* & *110. lib.2.* & *in practica verb. aggredior. Zaſ. in d.l. omnes populi. ff de iuſt.* & *Iur.* Secundũ genus eſt, cum Rex vel Princeps populum aliquem, vel ciuitatem, in fidem, & clientelam ſuam recipit, quos patronos, vel vindices libertatis, & ſecuritatis nominare poſſumus, de quibus diſſerunt *Bart. in l 1. C. de excuſat. muner. Iaſon.* & *Zaſius, in d.l. qui ſeruum ff. de verbor. obligat.* & *Iaſon conſ.57. vol.3 Schurpff conſ. 23. Cent.3.* & alii alibi. atq; Canoniſtæ, *in c. recipimus.* & *c. ex parte. de priuileg.* Tertium genus, vſu frequentiſsimum, eſt, cùm peregrinantibus, & nauigantibus fides publica datur, promittiturue ſecuritas, vel ſingularis, vel communis, maximè à principibus, & Magiſtratibus recipientibus vectigalia. de quo Bart. & Alex. *in l. nequid. ff. de incendio, ruina.* & *in l.1. §.1. ff. de his qui deiec. Bald. in l. ſi quis non dicam. C. de Epiſcop.* & *cler.* & *in c.1. n.1. quæ ſint regalia.* & ibidem alii Doctores quoque *Signor. conſ.108. Ang. conſ. 363. Decius conſ.51. lib.1. Iaſon. conſ.147. lib. 4. Zaſius conſ.14.* & *15. lib.1.* & *Canoniſtæ in*

c.1.

c.1.de restit.spoliat.& in c.fi.de treuga & pace. & passim hæc in commentariis Doctorum obuiam sunt. Quòd autem omnibus peregrinantibus, si petant, dandus sit saluus conductus, Augustæ in Comitiis Anno natiuitatis Saluatoris, millesimo quingentesimo, quadragesimo octauo, publicè decretum est. Quartũ genus promissionum Securitatis est, cum Iudicis imploratur officium, vt cogat inimicum insidiantẽ, vel de violentia suspectum, nobis cauere, vel vt & ipse Iudex contra inimicos nobis p̃sidium vel signum det: qua parte aliquid commune habet cum superiori. & de hoc loquitur *l.illicitas. §. ne potentiores. ff.de officio præsidis. & ibi Guil. & Bart.l.denunciamus.C.de his qui ad Ecclesias confug.* & ibi plures Interpretes. *l. cum sæpe.de erogat.mil.an. & ibi Bald. & Bart. Paul. Alex.in l. qui bona §.qui damni.& in l.dies cautioni. de damno infecto. Iason. & Alcia.in l. Si super possessione. C.de transactio. Canonistæ in rub de treuga & pace.* in multisq; aliis locis legum & decretorum Interpretes. Huic addi quoq; potest

cautio

cautio Maritorum, Abbatum & Dominorum, de qua scribunt Bald. & Canonistæ *in c. ex transmissa. & c. literas. de restit. spoliat. Guil. in d. §. ne potentiores. n. 9. Specul. de spons. & matrim. § fi. vers. si verò vir. Schurpff Centur. 1. Cons. 42.* Et quãdo is qui suspectus est de iniuriis, vel damnis inferendis; etiam in carcere detineri possit, explicat quoque Constitutio Imperatoris de Iudiciis capitalibus, Articulo 175. Ac de his quatuor generibus in specie iam non dicam: & ideo solum locos aliquos, in quibus de his disputatur, annotaui, vt aliis magis ociosis ansam darem, hæc, si velint; iusto ordine explicandi. Quintum genus est, Quando Præsides, vel Iudices, iis quorum crimina deferuntur, vel qui accusantur, & vocantur in Iudiciũ, vel alias non tutis, ex certis autẽ causis vocatis, Securitatem promittãt: de quo constitutũ est *in § sed neq; Auth. de mand. princ. glos. in l. is qui reus. ff. de publ. iudic.* Nam locus iudicii debet esse tutissimus, non minus litigantibus, & iis quorum consilio, & opera ipsi vtuntur; quàm

quàm Iudici. Quare citati ad locum manifestè non tutum, non tenentur comparere, nec exceptionem proponere, ne iudicantur contumaces, *arg. l.2 §. antepenult & ibi Doctores ff. si quis cautio. & Doct. in l de ætate ff ad S.C. Trebel. Bart. in l. sciendum §. 2. ff de legatio. Laudēsis de Officialibus dominorum. vers. 70. Oldra. Cons. 43 Ang. cons. 363. Iason cons. 86. num. 13. lib. 3. Hypol. in rep. l. de vnoquoque. num. 151. ff. de re iudic. glos. & Canonistæ in c. ex parte 1. de Appellat. Felin. in c. accedens. 2. vt lite non contestata.* Atqui apud iustiores Magistratus ipsa vocatio in Ius, Securitatem venientibus tribuit, vt in eos nihil sine causæ cognitione statuaturi Et exceptio loci non tuti, licet dilatoria sit, potest tamen quandocunq; opponi, etiam post litem cōtestatam, cum habeat grauamen continuum. *Bald. in l peremptorias, num. 27. C. sententiam rescindi non posse. Alex in d. l. de ætate. n. 27 ff. ad S.C Treb. Iason. in l prætor ait §. Si aliquando n 10. ff. de oper. noui nunc Fel. in d. c. accedens 2. num. 15.* De hocque genere iam sermo institutus est. Etsi enim omnia

omnia prædicta genera plurima habent communia, tamen habent etiam quædam specialia.

QVÆSTIO I.

QVæritur autem primo; Qui Magistratus & Iudices promittere Securitatem, fidemq; publicam dare possint? Et quidem putant, præter Principem, nullum Iudicem hanc dare posse, maximè Bannitis. *arg l. relegati ff. de pœnis* & *l. 1. §. 1. ff. de quæstionibus. Bald. in l. reos. num. 43 ff. de accusat.* & *Bald. in §. Imperialis. dum 4. de pace constantiæ.* & *in c. 1. §. Item sacramenta. n. 19. de pace iure firmā.* Vbi ait; Iusiurandum non confirmare Securitatem à Iudice promissam, lege non permittente. *Qui promittere Securitatem publicam possint.*

Quidam tamen concedunt etiam his, qui propriam habent Iurisdictionem. *Mart. Laudens. de principib. vers. 527 Angel. in disput. quæ incipit, Bonon.* Quæ sententia vera quidem est, sed, vt mox dicam, extendenda. Illa autem nec vsu nec legibus probatur, nisi forsitan in certis speciebus, Vt si intelligatur de pace perpetua, seu indulgentia crimi-

nis

nis, & impunitate, quæ ſolius videtur eſſe Principis. *d.l.relegati. & d l.1.§.1.ff. de quæſtio.& ibi Bart.l.reſcripta.C.de precib. Imper.off.& ibi dd.l.acta.§. de amplianda. ff.de re iudic. & ibi dd. & Bart. in l. non omnes. §.2. ff. de re militari l.ſeruos C.ad l. Iul.de vi. & ibi Cyn. & Bald.* & idem, *in l. ex operis. C.de pœnis.& Conſ.402.num.3.lib. 1.Nellus de Bannitis, in 2 parte 2 temporis, q.15. Cateldin. de Syndicatu. nu.91. Alber. in 4.parte ſtatutor.q.39.Tancred.in compendioſa. de ſtatutis. q 5. Laudenſis de Principibus.verſ.426.Iaſon.in l.centeſimis.§.fi.ff. de verb.obligat.* Quæ ipſa tamen doctrina ſuas habet exceptiones.Nam & alii Iudices delinquenti remittere delictum poſſunt,vt ſocios indicet vel tradat. *l. in eos ff. de cuſtodia reor.l.non omnes. in fi.ff. de re militari. Bart in l.3.ad fi.ff. de condict. ob turp. cauſ.& in l. ambitioſa.n. 8. ff. de decret.ab ord fac.& Alex.ad l.relegati.ff. de pœnis,& Iacob de Beluiſ.in pract.de quæſtio. nu.139.* Accedunt quæ docet Alber. *4. parte ſtatut.q 97 ad fi.* puta Bannitum, alios Bannitos præſentantem, eximendum de Banno *d.l.in eos. & d. l. nõ omnes.*

Ac sæpenumero Principes reis dant veniam delicti, vt vtantur eorum opera, in inquirendis & capiendis aliis delinquentibus. Item etsi Iudex non possit pœnam ordinariam, vel consuetam tollere, potest tamen eam mitigare in sententia ex certis causis; ex æquitate sui arbitrii; secundum dignitatem, ętatem, & vitæ merita delinqnentis, & alias circumstantias facti. *l. quid ergo. §. pœna grauior. & ibi glos. & Bald. ff de his qui not. infa. l. Etsi seuerior. & ibi dd. C. eo. Bald. in l. data opera. n. 1. C. qui accusare non poss. Tancred. in compend. de statutis. q. 5. Gandi. de malef. tit. vtrum pœna poss. augeri. Iacob de Beluis. in pract. de sententiis criminal. nu. 10. & de quæstio. num. 114. Paul. cons. 139. in antiquis. Zasius in l. acta. §. 2. ff. de reiudicata.* Item Censuræ, seu Banna propter contumaciam, reuocari per Iudicem, etiam litigatore inuito, possunt; quod vsu sæpius obseruari vidi. *Bald in l. C. de hæred. instit num. 13. Aluar. in §. item nulla. de statut, contra libert. eccl. in vsib. feud. Iason. & Zasius in l. quod iussit. ff. de re iud. Hypolit. Cons. 94. n. 68, lib. 1.* Præterea vsu

Barones, Comites, & Ciuitates liberas, etiam post sententiam, delictorum veniam dare, testantur. *Cyn. & Bald. in d. l. seruos. C. ad l. ad l. Iul. de vi. & Iason in d. l. centesimis. Iacob de Beluis. in pract. de sententijs criminalib. nu. 10. & Zasius in l acta §. 2. ff. de re iud.* Atque iis qui Principibus conferuntur, concedere etiam hoc videtur, *Bart. in d. l. relegati. & in l. infamem. ff. de pub. iud. & Bald. Cons. 402. lib. 1. & Angel. de malef. verb. fama publica. vers. An autem Bannitus.* Quod & innuere videtur. *l. ex operis, C. de pœnis.* Atque in mulctis, & pœnis pecuniariis non est dubium. *l. illicitas. §. fi. ff. de offi: præsid. & ibi dd. & Bart. Alex. Zas. in d. l. acta. ff. de re iud.* Nec de restitutione famæ dubitandum est, intra limites cuiusuis iurisdictionis; *Bart. & Bald. in l. fi. ad fi. & Bald. in l. generaliter. C. de sent. passis Alex. ad l. Infamem. ff. de pub. iud. Zas. in d. l. acta.* Tum defendi potest traditio Doctorum, si accipiatur de relegatis, & proscriptis à Principe, quia his nemo, preter Principem, Securitatem promittere potest. *d. l. relegati: Iason in l. conuentionum. ff. de pactis: Bart.*

Restitutio famæ.

Bar. in l. 1. § de qua re. ff. de postulando. Item Alber. *4. parte. q. 106. de statutis*, censet Bannitos propter maleficium, Iure communi, solum Principem de Banno eximere posse. *d. l. relegati. ff. de pœnis. &* *de postulando.* Secus si statuto, vel cõ-tudine Bannitus sit. Præterea solus Princeps, ex mera gratia, sine causæ cognitione, Securitatem reis promittit. *Paul. cons. 423. num. 9. lib. 1. in nouis*, qua de re in tertia quæstione quoque dicam. Aliàs omnes qui Iurisdictionem habẽt, ijs qui apud eos accusantur, vel quorũ delicta inquirunt, vel quos ex aliis causis vocant, Securitatem promittere possunt. *Bart. & Imola in d. l. relegat. ff. de pœnis. l. 1. §. remouet. ff. de postulando. d. l. is qui reus. & ibi glos. & Bart. ff. de pub. iudic. d. §. sed neque Authen. de mandatis Principum. Guilhelm. & Bart. in d. l. illicitas. § ne potentiores. & in l. ambitiosa. num. 8. ff. de decret. ab ord. faciendo. Alex. in d. l. conuentionum. numer. 4. ff. de pactis Paul. Cons. 199. à princ. & Cons. 423. numer 9. libr. 1. in nouis Nellus de Bannitis in secundo parte secund. temporis. quæstio. 15. Oldra. &*

Alberic.in 4.parte statuto.q.39.Tancred.in compend.q.3. quæstionum circa emergentia in causis. Hypol.cons.106.n.4 lib.2. Bald.& Felin.in c.accedens 2.vt lite nō contest. Imo & delegatum Iudicem censeo Securitatem ad causam apud se dicendam; promittere posse, cum insidiantem ad cauendum, de non offendendo, cogere queat, vt docet Speculat.*de iud. de legat.§.5.vers.quid ergo.* Atque Constitutiones imperatoriæ, de pace publica, & de capitalibus Iudiciis, non solum Iudicib. verū etiam arbitris, tam compromissariis, quam iis quos arbitratores vocant, concedunt his, quorum lites diiudicant, vel transigunt, promittere saluum conductum; Inferior tamen in præiudicium superioris Securitatem promittere, fidemque publicam dare nulli potest. *Doct.in d.l. conuentionum. Angel. in sua disput.quæ incipit, Bononiens. in 6.dubio. Alex.Cons.236.lib.6. Felin.in d.c.accedens.2.vt lite cōtestata.* Atque huius etiam postea fiet mentio.

II. QVÆSTIO.

SEcundo quęritur, Quibus fides publica dari, securitasq; promitti possit? Hæc quæstio cum priori explicata est: datur enim non solum iis, qui conuenti, vel accusati, vel delati, sed & iis, qui proscripti, seu Banniti sunt. Et quod quidam existimauerunt, homicidis, adulteris, & raptoribus virginũ, non dandam esse Securitatem. *glos. d. §. sed neque. Auth. de mandat. prin. & ibi Iacob de Beluis. & Bar. in tract. quæst. 1. Euerch. cons. 34.* fefellit eos praua interpretatio *d. § sed neque*, vt infra suo loco latius explicabo. Atque in discretione Iudicis positum est, quibus fides publica recte detur, vt patet ex vera interpretatione *d. § sed neque*, & testatur *Bart. in l. 1. ff. ad l. Iul. maiest.*

Quibus personis dari publica fides posit.

III. QVÆSTIO.

TErtio quæritur, Quando danda sit fides publica? Et quidem datur postulanti, & imploranti officium Iudicis, vel etiam ex officio promittitur Securitas, semper tamẽ causa cognita,

Quando sit danda publica fides.

nec passim omnibus, nec temerè. *d. §. sed neque. Auth. de mand. prin. l. relegati. ff. de pœnis. Bart. in d. l. illicitas. § ne potentiores. ff. de offi. præsidis. Bald. in l. libertas. ff. de statu hominum. Nellus de Bannitis, 4. parte 2. temporis. q. 15 Laudens. de princip. vers. 219.* Cum enim leges omnibus hominibus æqualiter Securitatem tribuant. *l. capitalium. § ad statuas ff. de pœnis.* & tituli, de pace tenenda, tam veteres quã noui. Alber. *4. part. statut. q. 89. in fi.* meritò specialis hæc fidei publicæ, seu Securitatis promissio, non passim omnibus, nec temerè danda est. Vnde rectè à Doctoribus traditur, petentem Securitatẽ, causam iusti timoris allegare debere *Cyn. & Io. Fabri. in d. l. denunciamus. & Fabr. in § post quod. Instit. de fideiuss. hæred. & Bart. in d. l. illicitas § ne potentiores, & in d. l. capitaliũ § ad statuas.* Latiꝰ Guil. *in d. § ne potentiores. Signorol. Cons. 103.* & Doctores *in l. qui bona ff. de damno infecto. Felin. in d. rubr. de Treuga & pace.* Et hoc commune est omnibus Securitatibus, peculiariter postulatis.

Fuerunt ẽt quidã, qui existimauerũt

Securitatem non à Principe, ſed à Iudice ex abrupto, & ſine cauſæ cognitione, fortè ex ſola gratia promiſſam, non ſeruandam eſſe, quia non potuerit à Iudice concedi in damnum Reipublicę, *arg. l. relegati. ff. de pœnis. Bald in d. l. 1 §. non fuit ff. de dolo. Imola in l. is qui reus. ff. de publ. iud. Nellus de Bannitis. 2. part. 2. temporis. q. 15. Ang in d. §. præterea. Insti. de Actio.* Verùm leges minimè hoc dicũt, nec id vſu obſeruatur, quum iniurium foret quempiam ſub fide Magiſtratus decipi, vt ex ſequentibus apparebit. Atque multa facta tenent, & ex poſtfacto tolerantur, quę ab initio fieri prohibentur. *l. circa de inoff. teſt. l. patre. de his q ſunt ſui vel alie. iur.* Poſſet tñ forſitã hoc dictũ recipi, vt ſecuritatis ꝓmiſſione, ex mera auctoritate, & cauſa nõ cognita, data, ſucceſſor ꝓmiſſoris nõ obligaretur, quẽadmodũ reſpondet Bald. *conſ. 9. n. 3. li. 3.* & idẽ in ſimili docet. *in l. 1 C. de poſtulando. & in l. fi. n. 13. C. de contrah. empt.* Et probat Alex. *in l. centeſimis. ff. de verbor. obligat.* puta quòd ſi Iudex aliquem ad certa confinia damnauerit,

 cauſa

causa non cognita, mortuo Iudice, vel finito eius officio, damnatum esse liberatum.

IV. QVÆSTIO.

Ex quibus causis danda sit Securitas.

QVarto quæritur, Quibus ex causis danda sit Fides publica? Ne ullius nō audiatur defensio, etiam reis debent tuta esse Iudicia. *d. §. sed neque. Oldra. & Alber. in 4. parte statuto. q. 39.* Vbi de fauore defensionis pulchrè disserit. Et sæpe etiam quippiam à reis, nedum à delatis, & accusatis, percontandum, vel etiam testimonium eorum audiendum est. *Bar. in l 3. ff. ad l. Cornel. de Sicar. Paris d: Syndicat. verb saluus conductus fol. 233. Signor, Cons. 102. & 103.* Item sæpe gestus & vultus Iudicem instruunt *Bart. in d. l. is qui reus. & Alex. in d. l. conuentionum. Cæpol. Cons 53.* Sique vt supra retuli, reis etiam delictorum venia dari potest vt socios prodant, multo magis potest eis ad tempus dari Securitas: quod his diebus, cum hęc scriberem, factum est. Constitutio Imperatoria, de pace, iudicat satis magnam causam esse dandi saluum conductum, vt pax & concor-

dia fiat, custodiaturque, & maiora mala caueantur: & ideo præcipit violatoribus pacis saluum conductum dare. Et in summa, duæ sunt causæ principales, propter quas Securitas promitti solet: Altera, ne quis non auditus, vel vocatus damnetur, & vt cuique salua sint Iuris auxilia: Altera, publica vtilitas, quæ cum amplissima sit, & summo fauore digna, in cognitione consistit prudentis, & boni viri. Ad agendum autem vel accusandum, proscriptis & Bannitis nulla præstatur Securitas, vt docet Bart Bald. Alex. & Iason. *in l. libertus. & Bald. in l. sed si hac. §. sed si per pœnam. ff. de in ius vocando. Alex. ad d. l. is qui reus. Paris de verb. saluus conductus. fol. 232. & Iason in d. l. conuentionum. ff. de pactis, & in l. 1. C. de hæred. instit. Alber. 4. parte statuto. q. 1. & 4 & 42. & 59. & 60.* nisi Bannitus petens Securitatem, contra Senatores, vel Iudices, qui contra eum sententiam tulerunt, de iniquitate sententię in Syndicatu agere, vel eos, qui contra eum testimonium dixerunt, falsi accusare velit. vt recte docet Alber. 4. *part.*

statuto.q.88.& q.89.ad fi. Nec enim ad defensionem voluntariam, & non necessariam Banniti admittuntur, *l.de Pupillo.§.seruo.ff.de oper no.nunc.& ibi Bart. Alex.& Iason.* & ijdem *in l.libertus.& Iason consi.167.vol.2.* Ac sæpissimè vidi, hāc exceptionem: Bannitus est, non audiatur, in Iudiciis proponi: neç audiebantur Banniti, donec Bannum Iudex reuocasset. Nec etiam saluus conductus dari debet, damno alterius, *arg.l.2. §.si quis à Principe.ff.ne quis in loco pub.& l. quoties. & ibi Doctores. C.de precip.Imper. & ff.Laudens.de crimin.læsæ Maiest. vers.6.* Idem innuit Decius, *cons.51.n.2.lib.1.& Iason cons.147.lib.4.* Atque in Constitutione Imperii, de pace publica, constitutum est, ne perturbatoribus & violatoribus pacis, à quoquam promittatur Securitas, seu detur Saluus conductus, absque consensu læsi; & si plures læsi sint, ab omnibus consensum salui conductus requirendum esse: hos tamen, si de crimine purgando, vel de causa in iudicio decidenda, vel extra iudicium transigendá agatur, consentire, & ipsos quo-

quoq; Securitatem promittere oportere, & si quidam nollent, sufficere cõsensum aliorum: Hostibus verò priuatis, qui non sunt contenti publicis iudiciis, & in fugam se dant, Magistratibusque, vel vicinis, hostilia minantur, conanturq;, eis vim inferre, omnibus, præterquam ordinariis magistratibus, dari saluus conductus prohibetur, & qui dederint, rei fractę pacis habentur. Item Doctores docẽt, fideiussores obligatos ad sistendum delinquentem, si delinquens postea ex alio delicto subsequuto, Banno feriatur, (quo casu bona confiscantur) liberatos, & in eorum præiudicium, eisq; inuitis reo non posse dari saluũ conductũ. *Tanc. in cõpend. q. 3 circa emergentia in causis. & Gand. de malef. tit. de aliquib. quæst. varijs, n. 19.* Et forsitan huc pertinere videri possent Securitatis promissiones, quas Principes faciũt debitoribus, ne ad certũ temp⁹, vel in certo loco cõueniantur. De quibus loqtur *gl. & Doct. in l. 1. ff quod quisq; iur. & in l. si quis iniquũ. eo.* Et Cy. Bald. Iason. *in d. l. quoties. & l. vniuersa.* & ibi plures Dd. *C. de prec. Imp. off. & Bald. cons. 400. lib.*

l.Paul.Conf.203.lib.1.in nouis.Curt.Iunior, Conf.67.Felin.in.c.constitutus.num 3. de rescriptis.Cateldin.de Syndicatu.num.92. Tamen cum solum differam nunc de Securitatibus quæ principaliter promittuntur ad tutelam, & defensionem legitimam personarum, illas nolui his immiscere.

V. QVÆSTIO.

Ad quod tempus sit danda fides publica.

QVinto quæritur, Ad quod tempus danda sit fides publica, ad defensionem in Iudicio? Olim bene constituta Republica, breues termini litibus constituti erant. *l.properandum. C.de iudicijs.* quare & modico tempore, & non vltra triginta dies, ne lites immortales fierent, ad respondendum in Iudicio, fides publica promittebatur, *d.§.sed neque.glos.penult.l.fi.C.de ijs qui ad Eccles. confug. & ibi Cyn. Bart. in d.l.illicitas. §.ne potentiores.num.7.* Hocq; obseruari debebat tam in debitoribus, quàm in delinquentibus. *argumento d.l.properandū. §.1. & 2. C.de iudicijs. & l.absentem.ff.de pœnis.* vt ex sequentibus clarius apparebit, Cæterum cum longè diuersa sit nostri

nostri seculi ratio, tempus hoc ex concedentis publicam fidem arbitrio dependet, qui pro rei grauitate aut qualitate, nec non statu conditioneq; personarum, illud aliquando indefinite, aliquando etiam definite indulget atq; præscribit, Et ita vsu obseruatur.

VI. QVÆSTIO.

SExto quæritur, Qua forma dari debeat, vel consueuerit Fides publica, promittique Securitas? Siquidem vsum spectamus, apparet aliquando dari generalem Saluum conductum, puta veniendi; & abeundi in locum tutũ & securum, aut libere per totam ditionem negotiandi: aliquando vero specialem, puta, contra vim ad causam dicendam in iudicio; non contra Iuris executionem: Et illius in causis ciuilibus æqualis est vsus, apud omnes Magistratus: hoc autem in causis criminalibus, quidam plurimum, & ferè semper vtuntur: quidam verò rarius, vt in superiori Germania. Constitutio autem Principalis, de pace publica suspectis, *Qua forma promitti publica fides debeat.*

ſpectis, & reis fractæ pacis, dat ſaluum conductum generalem, hoſtibus vero priuatis, qui ſpretis Iudiciis, profugi ſunt, & vel Magiſtratib. ſuis, vel vicinis, hoſtili more minantur, & contra eos inſurgunt, ſpecialem. Imperatoria autẽ Cõſtitutio de Iudiciis capitalibus, Art. 76. prohibet, ne detur Saluus conductus, vel accuſatori, vel reo, vel teſtib. aduerſus publicum Iudicium, ſed ſolum contra vim, Item Art. 156. mandat, vt accuſatis, vel de crimine ſuſpectis, qui extra carceres ſunt, & iure ſe defendere, & excuſare petunt, à Iudice minimè denegetur Fides publica contra vim, ne tamẽ præter vim latius extendatur, id eſt, ne detur cõtra Ius, vel Iuris executionem. Sed cum hæ Cõnſtitutiones nõ derogent Iuri cõmuni & bonis conſuetudinibus, & propter diuerſitatẽ, & varietatem cauſarum, delictorum, & perſonarum, generales formas aliquando mutare neceſſe ſit, latius hęc quęſtio explicanda eſt. *Bart. in l. 1. ff. ad l Iul maieſt.* & poſt eũ Chriſtoph. Porcus, *in §. ſi ab hoſtibus. Inſtitut. quibus mod.*

mod. ius pat. potest. sol. & Panormitan. in c. fi. de Treuga & pace. docent in Iudicis esse potestate, pura legitima, qualem pro ratione personarũ, & delicti, promittat Securitatem. Quod & recenset *Ferrari. in form inquit. verb. hæc est quadã. n. 2.* Et de promittenda, & interpretanda Securitate, hanc faciunt distinctionem: Aut enim Securitatem determinatam petitam, & promissam esse, & standum certo. *l. continuus. §. cum ita ff. de verbor. oblig.* Aut determinatam Securitatem petitam, indeterminatam verò promissam, & censeri determinatam promissam esse: Respõsioné enim adaptandam petitioni, seu interrogationi. *§. præterea. Instit. de inutil. stipul. l. si defensor. §. qui interrogatus. ff. de interrogat. actio. c. inter dilectos. §. cæterum. de fide Instrument.* Quòd & refert Felin. *in c. super literis, n. 9. de rescriptis.* Aut Securitatem indeterminatã petitã, & determinatã promissam esse, inspiciẽdamq; cõcessionem. Videri enim superiorẽ restrinxisse petitionem. Nam priuilegium, & indulgẽtiã, sumere vires, à cõcessione,

non

non à petitione, licet in dubio concessio referatur ad petitionem. *l.1.ff. de solut.* Aut in determinatam Securitatem petitam; & indeterminatam promissam esse, & intelligi de primo tantum actu. *l.boues.§. hoc sermone.ff.de verb.sign. l.hæc cōditio.ff de condict.&demonst.*quod & Bart. asserit *in l.dotis.2.ff.de iure dotium Alex. in l. diuortio.§ ob donationes.ff.Solut.matri,&in cons.16.lib.4.Decius cons.609 num. 6. lib. 5. Iason in l.duobus §.si ei qui.ff. de iureiur.& in d.l.diuortio.§.quod si in anno. Felin. in c.si num.3. de treuga & pace.* Quod si autem propter certam causam promissa esset, tunc eam durare, dum causa pendet. Vt promissa Securitate ad pacem constituendam, durare eam, quam diu de pace agatur.*l.continuus § item qui in insulam.ff de verbor. oblig.& d.c si. & ibi glos.de Treuga & pace.* Hæc Bart. Porcus & Panormit Similiter autem saluus conductus datus ad tempus, non intelligitur de vno actu tantum, sed quoties voluerit venire, tempore nondum lapso. *l.sicut in annos. ff.quib.modis usufruct. amittatur. Alex. ad*

d.l.1.

d.l.1.ff.ad l.Iul. maiest. Raphael. Fulg. in l. si mihi & Titio.ff.de verbor.oblig. Item si Securitatis promissio sub conditione, seu modo, & in diem collata sit, & conditio seu modus deficiat, diem tamẽ expectare necesse est, & intra tempus cõstitutum, is cui promissio facta est, molestari non debet. *l. si.eum §.2.ff. si quis caut. l. in illa.ff.de verbor.oblig. Signor.cons. 103.* Vt autem hæc, quæ retuli, clariora fiant, addam quasdam regulas, casusq; speciales, quę exemplo sint, quę sit forma, qualisque interpretatio admittenda fidei publicæ. Nam ex forma potissimum interpretatio facienda est. Securitatis promissio, & fides publica maximè bonæ fidei est. Vt pulchrè ait Signorol. *Cons.103.* Verba salui conductus esse verba fidei datæ, & sapere naturã pacti: quare si generalia sint, extendi, quatenus verba patiantur. *l emptor. §. Lucius & ibi glos. ff. de pactis. Et Bald.cons. 414.lib.5.* ait, In istis Securitatibus considerandam esse formam verborum, & nihilominus bonam fidem, & mentem tam promittentis, quàm recipientis,

quæ videanrur idem ſentire, quod ſentirent homines prudentes, & boni viri: atque, exemplum ponit, Promiſſa Securitate alicui eundi cum quibuſdam perſonis, & rebus, eum poſſe mittere perſonas vel res, etiamſi ipſe non ierit. Cuius etiam meminit *in Auth. habita. C. ne fil. pro patre. & Decius conſ 51. lib. 1.* Baldi ſententiam adprobat, ac teſtatur, Securitatis promiſſiones, ſine cauillationibus ex æquo & bono largè interpretandas eſſe. Hinc elegāter colligit Dominus Zaſius, *in d. conſ. 14. lib. 1.* Securitatem ex fide conſiſtere, & ideo ex fide nutriendam. Atque ſi altius rem perſcrutemur, apparet, fidem publicam, & promiſſiones Securitatis, pacta eſſe publica, iuxta *l. conuentionum ff. de pactis.* quæ non ſolùm ad Caſtrenſes, ſed & togatos Magiſtratus: & non ſolùm ad ſupremum, verumetiam ad alios inferiores magiſtratus, in quibus conſiſtit Ius publicum, referenda eſt. *l 1. ff de Iuſtitia & iur.* & ideo maximè eſſe bonæ fidei. *arg. c 1 § ſi qua verò de pace conſtant. & ibi Bald. Iacob de S. Georg. de feudis. verb.*

princeps n.17. Decius cons. 51. lib. 1. in quo ait, ad honorem Principis pertinere, ne is qui confidit ipsius literis, decipiatur: atque quo ad constantiam fidei, eadem est ratio Principis, & aliorũ magistratuum, vt ex sequentibus quoque patebit. Tum ipsa Securitas, sua natura etiam, ad publicam vtilitatem pertinet, & fauorabilis est, exemplo Securitatis, & tutelæ à ruinis, & à deiectionibus, & effusionibus. *l. de pupillo. §. si quis riuos. ff. de oper. no. nunc. & l. 1. §. 1. ff. de cloacis. Alber. 4 parte statuto p. 89. in fi. Zasius. cons. 15. nu. 38. li. 1.* & ideo plenè est interpretanda *c. odia. & ibi Dyn. de reg. iur. in 6.* Alber. loco allegato. Quare in primis cauendum est Magistratibus & Iudicibus, tanquam bonis viris, ne quisquam sub fide, & authoritate publica fallatur. *l. 1. C. de his. qui ven. ætat. impet. l. Barbarius. ff. de off. prætor. l. 1. C. de latin. liber. tol. l. si ventri. §. in bonis. ff. de priuileg. creditor. & ibi* Zasius Decius *cons. 51. lib. 1.* esto quod non teneat. Vel promitti non debuerit *l. fin. §. diui. & §. si quis ff. de public. & vectig. Alb in 4. par. statut. q. 39.*

Signor.d.cons.102.& 103. Paul. cons.423.n.9. l.1. in nouis. quod infra quoque attingam. Et Imperialis Constitutio hac in re maximè laudãda est, quòd dari vult Saluum conductum minimè subdolũ, & captiosum, fidemque datam firmiter seruandam esse decernit. Atque omnes Doctores vno ore asserunt, generalem promissionem Securitatis, veniendi ad Iudicem, seu comparendi in Iudicio, etiam libertatem recedendi abeundique complecti. *l. vtimur. ff. de sepulch. viol. & ibi Bart. & Angel. l. 1. C. de nauicul. & ibi Bart. num. 8. l. sciendum §. accusatio. ff. de legation. l. de ætate. ff. ad Trebel. Bartol. in l 1. ff. ad l. Iul. maiest. & in l. relegati. ff. de pœnis. & in l. fi. C. de dignitat. & in Authen. habita. C. ne fil. pro patre. & ibidem Bolog. num 59. Christoph. Porc. in §. si ab hostib. Instit quib. mod. ius pat. potest soluitur. num. 16. Angel cons. 363. Laudens. de bello. vers. 51. Corsetus in singul. verbor securus. Paris de Syndicatu, verb saluus conduct. fol. 232. Alex. cons. 46. lib. 2. decis. Delphi. q. 418. Decius cons. 51. lib. 1. Abb. & Felin. in c. fi. de Treuga & pace. & in c. ego enim. de Iureiur.*

Saluus cõductus datas ad veniendum, extenditur etiam ad recedendum.

& Abb. in c.quia diuersitatem. & de conces. præbend. Zasius in l cum lex.ff.de legibus.& in paratit. Tit de offic.testamento.punct.vlt. & cons.14. & cons.15. lib. 1. Et dato Saluo cõductu alicui, etiam vxor secura redditur, & filii. *Guilh. de Cun. in d. §. ne potentiores.n.25. Bald. cons.414 vol.5. Iason in l. non tantum ff. de re iud. & in l.si stipulatus fuero.nu.3.ff.de verbor.oblig.* Tum extenditur saluus conductus ad nuncios, famulos, & comites, etiamsi non exprimantur. Bart. Bald. Bolog. *in d. Authen. habita.C.ne fil. pro patre. Guil. de Cun. in d. § ne potentiores.n.25. Angel. in l Papinianus. § si quis mortis.ff.de inoff.testa. & eod. titul. in paratit.* Zas. Vbi aiunt, tales nec directò, id est, manifestò, nec per obliquum, id est fraudibus, & subdole, vexari posse. Quod & probant glos. & Canonistæ *in c. ex parte. 1. de Appellat.* & confirmatur Constitutione Imperaroria, de pace publica. Accedit notabilis doctrina Iasonis, *in l. vt vim. nu. 28. ff. de Iust. & Iur.* Vbi ait, vbi aliqua lege, vel dispositione fit mentio de aliquo, vel de alicuius persona, vel similibus,

talia verba comprehendunt non ſolum propriam perſonam, ſed etiam alios, quos circa ſe neceſſarios habet, puta vxorem, filios, & ſimiles. *l.3. §. ſed quod diximus. ff. de penul. legat.* Item extēditur Saluus conductus ad equos. Fel. *in c. ego enim de Iureiur. & in c. fi. de Treuga & pace. Hypolit. in repet. Rub. C. de probatio. nu. 16.* Sed hæc nimis leuicula ſunt, & aliena à bona fide, quæ ſcrupuloſas, & acutas has diſputationes nō admittit. *l. fideiuſſor. §. quædam ff. mandati. & ibi gloſ. Bald. in c. 1. ſi quis verò de pace conſtantiæ.* Præterea promiſſa alicui Securitate, & ſociis eius, etiam Iudæus ſocius ſecurus eſt. *Angel. in l. vtimur ff. de ſepulchro violato. Alex. conſ. 75. num. 6. vol 5. Fel. d. c. ego enim de Iureiur. Decius conſ. 51. li. 1. Hypolit. conſ. 88. nu. 41. vol 2.* In generali tamen Securitatis promiſſione, vt quicunque venerit ad nundinas, tutus ſit: hoſtes, violatores pacis, & Banniti declarati & manifeſti, ſecuri non redduntur. *Bart. in l. 1. ff. ad l. Iul. Maieſt.* Et hoc comprobatur quoq; noua Conſtitutione, de pace publica, qua Imperator etiam

man-

mandat, in omni saluo conductu, & in omnibus promissionibus Securitatis, Bannitos, & eos, qui uiolatores pacis publicæ declarati sunt, expressè excipiendos, & excludendos esse, nisi in Iudicio, vel extra Iudicium de lite dirimenda, vel transigenda, agatur, requisito prius consensu eorum, qui offensi sunt. Item in ordinatione Iudicii Imperialis Cameræ, Principibus, qui conueniuntur ab aliis, mandatur, vt in saluo conductu quem actori, & comitibus eius dare debent, nominatim excludant publicos Imperii, & priuatos hostes, & Bannitos. Atque in delegationibus Imperator eandem formam obseruat. Principes, vetusto more, hac clausula vti solent: Promittimus tibi tuisque comitibus Securitatem, vt nullum tamen nostrorum hostium, vel Bannitorum tibi adiungas. Regulariterque verba generalia restringuntur, vt odiosi non comprehendantur. *Bald. in l. Lucius. §. Lucius 2. ff. de legat. 2.* Item cõmuniter excipiunt Magistrat⁹,

potentiores, quorum viribus resistere nequeant, qui & ipso iure excepti habentur. *l. fluminum §. quanquam. & ibi Bald. ff. de damno infecto. Iason cons. 147. lib. 4.* & hac de re Zas. *in cons. 14. & 15. libr. 1.* multis, & doctè disputat.

Quòd autem in promissione Securitatis, ab inferioribus magistratibus, solùm publicæ personæ Iudicii, & non alii, maximè qui insidiantur Bannitis, comprehendantur, vt tradit Nellus, *de Bannitis. 2. parte 2. temporis* q. 15. apud Germanos non vidi obseruari in Bannitis: & magis captiosa persuasio est, quàm Securitatis promissio, vt Angel. *cons. 363.* in simili docet. Item, etsi, vt dixi, generalis Securitatis promissio extendatur ad omnes, etiam contra promittentem, tamen promissa Securitate contra certas personas, cum clausula generali, non extenditur ad maiores expresse, & nunquam contra superiorem. *Alex. cons. 235. lib. 6. Abb. & Felin. in c. sedes. de rescriptis.* Deinde Doctores ex vulgari dicto Iurisconsultorum, Limitatam dispositionem, limitatum pareret-

re effectum. *l. age. C. de transactio.* colligunt, Securitatis promissionem limitatam, parere limitatum effectum. Vt puta, quidam reus factus plurium delictorum, impetrans ad sui defensionem Securitatem, in omnibus causis, quæ penderent in Iudicio: cum autem & aliaquædam delicta perpetrasset, quorum causa nondum reus postulatus erat in Iudicio, nec à priuato accusatore, nec à publico inquisitore, & forsitã nota non erant, propter hæc, illorum nomine, promissa Securitate non perpensa, capitali pœna plectus est. Bald. Paul. Zas. *in l. cum lex. ff. de legibus.* quod exemplũ ego aliis diiudicandum relinquo. Odi enim calumnias, & cauillationes, quales ẽt sunt, quas retellit *Signor. cons. 103. Ang. cons. 363. Alex. in l. boues. ff. de verb. sign. & Zas. cons. 14. n. 98. & cons. 15. n. 44. lib. 1.* De Securitate autẽ ad voluntatem, & ad libitum Iudicis, vel Magistratus promissa, in vltima quæstione dicam. *Cauillationes odiosæ.*

Minimè autem prætereundum est, etiam tacitè Saluum conductum dari, *Saluus condu-*

Bannitus tacitus. vtputa si quis à ciuitate proscriptus sit, in qua Iure municipali Banniti offendi queant, & postea in ciuitate, à Magistratu, seu Iudice toleratus sit, ipsam hanc tolerantiam ei Securitatem præbere. *Salicet. in l. nullus. C. de Iudic. Alex. cons. 1. ad fi. libr. 2. & cons. 8. ad fi. libr. 6. & ad l. fi. C. ad l. Iul. de adult. Felin. in c. quæ in ecclesia. num 7. de constit. Iason in l. creditores. num. 8. C. de fideicom. & in l. omnes populi. num 48. ff. de Iust. & Iur & in l. vbi pactum. num. 17. C. de transactio. Hypolit. singulari 77 & in practica. in verbor. aggredior. num. 28. & cons. 10 nu. 26. & cons. 46 num. 31. & cons. 55. nu 9. & cons. 66. num. 9. lib. 1. & cons. 97. nu 20. & cons. 106. nu 3. libr. 2.* Licet Decius *cons. 337. ad fi libr 3.* diuersum responderit, similitudine inconuenienti nitens, quę & imposuisse videtur Cottæ in Memor. *in ver. Bannitus* vt ex sequentibus euidentius appàrebit.

VII. QVÆSTIO.

Effectus promissæ SEptimo quæritur, Qui sint effectus promissæ Securitatis? Et quidem quatu-

quatuor sunt. Primus, vt hi, quibus datur, ab omnibus periculis & iniuriis securi sint. Secundus, vt suspẽdatur pœna, non tamen tollatur. Tertius, vt accipiens fidem publicam, seu habẽs Securitatem, si non compareat, contumax declaretur. Quartus, vt frangentes fidem publicam puniantur. De primo, etsi pluribus Doctoribus videatur, promissam Securitatem, & fidem datam malefactori, qui possit inuitus extrahi de ecclesia non esse seruandam. *glos. in d. §. sed neque. Bart. in tractat. quæstionum. q.* 1 (Alex, tamen iudicat, quæstiones non esse eius, *in l. qui in alienam. §. Celsus. num* 11. *ff. de acquir. hæred.*) *Guil. Bald. Florian in l.* 1. *§.* 1. *ff. de dolo. Angel. in §. præterea. num.* 23. *Instit. de actio. Euerh. cons.* 34. maximè si causa non cognitá promissà sit, vt in tertia quæstione retuli: vel si reus subditus sit eius, à quo fides publica postulatur, vt docet Salicet. *in l. cum indulgentia. C. de sententiam passis.* Vel si constat manifestò de delicto eius, qui fidem publicam habet; vt concedere videtur Signorol. *cons.*

Securitatis.

conſ. 102. & conſ.103. Tamen quicquid dixerint, perpetua hęc eſt ſententia, fidem publicam datam, omnibus, quantumuis reprobis, & peruerſis, ſeruandam eſſe. Vt rectè aſſerunt Petrus & Cynus *in l. præſenti. C. de his qui ad eccleſ. Oldra.* vt refert Alber. *in 4. parte ſtatuto. q.39. Paul. conſ. 423. lib.1 nu 9. in nouis. Decius in l. ea eſt natura. ff. de reg. iur. Bart. in l. illicitas. § ne potentiores. ff. de officio præſid. & in d. §. ſed neque Authen. de mand. prin.* quæ id etiam ſatis euidenter exprimit, vt clarè apparet ex Græca litera, & Haloandri translatione, atque compendio Nouellarum, quod antiquiſſimum eſt, & plurimum commendatur à Nicolao Boërio in præfatione ad leges Longobardorum, & ab Haloandro in præfatione Nouellarum, & Alciato Parergon li.3. cap.46. Atq; hoc ipſum eſt, ad quod paſsim ſe gloſſæ referunt. Non enim Imperator conſtituit, fidem publicam à Magiſtratibus promiſſam, non ſeruandam eſſe homicidis, adulteris, virginumque raptoribus, & aliis ſimilia delinquentibus, ſed immunitatem

Compendium Nouellarum

tem

tem locorũ sacrorum non vult eis seruari, verùm ex his eos, per Magistratus, extrahendos, & supplicio afficiendos esse: quod & intellexit Petrus, & Cyn. *in l. præsenti C. de his qui ad Eccles. confug. Oldrà. & Alber. in 4 parte statut. q. 39. & Salicet. in d. l. cum indulgentia.* Et testatur glos. & Bart. *in l. 2. & glos. in d. l. præsenti. §. 1. & si C. de his qui ad Eccles. & glos. in c. inter alia. de immunita. Eccles.* Verba No- ,, uellarum hæc sunt: Præses Prouinciæ ,, fidem publicam non passim crimino- ,, sis præstare debet: Imò etiamsi dede- ,, rit, vsque ad triginta dies tantum de- ,, bet fides publica valere, sed & conde- ,, mnare eos debet, quin in terminis san- ,, ctorum sunt, & exequi eos, ita tamen, , vt competentem honorem sanctorum ,, terminis obseruet. Termini sanctorũ ,, non prosunt, neq; homicidis, neque a- ,, dulteris, neque raptoribus virginum. ,, Noue autem translationis verba sunt: ,, Sed neque fidem publicam, siue (vt vo- ,, cant) Securitatis promissiones passim ,, omnibus, & temerè, aut in longiora ,, tẽpora dari oportet, sed causa cognita, ,,

" &ad modicum tempus, &quod trigin-
" ta dierum interuallum non excedat,
" ne per hanc occasionem controuer-
" siæ, quas homines inter se habent, im-
" mortales fiant. Quod si eum, cui eam
" fidem publicam dedisti, accusatorio a-
" liquis animo aggrediatur, deduces i-
" psum in Ius, datam fidem illi conser-
" uans, factum quoque ipsum exanima-
" bis, salua per omnia fide publica. Et si
" contra ipsum proferenda sit sententia,
" condemnabis eum, duorumque, alte-
" rum ei propones: vt aut datæ publicæ
" fidei clare renunciare velit, & iudicata
" facere: aut si id non velit, vt sacris eum
" locis restituas, & moderatè ac cum re-
" uerentia, quæ sacris debetur locis, exe-
" cutionem adhibeas. Cæterùm homi-
" cidis, & adulteris, & virginum raptori-
" bus, & omnibus talia delinquentibus,
" ex sacris locis Securitatem non serua-
" bis, sed & inde eos abstrahes, & suppli-
" cium illis irrogabis. Neque enim his,
" qui ad hunc delinquunt modum, sed
" qui timuerunt ne ab improbioribus
" talia paterentur, conuenit parcere,
cum

cum alias, tum vero maxime, quia sa- ‘‘
crorum locorum immunitas à lege nõ ‘‘
iniuriantibus, sed affectis iniuria con- ‘‘
cessa est: nec fieri potest, vt vterque, ‘‘
tam qui iniuriam facit, quàm qui pati- ‘‘
tur, ex æquo in sacrosanctorum loco- ‘‘
rum immunitate fiduciam collocent. ‘‘
Sacrorum autem locorum ideo fit mẽtio, quia olim propter amplitudinem Romani Imperii, & vniuersalem, vt ita dicam, Imperatoris potestatem, delinquentes non facilè poterant effugere, Nam ad Magistratus, vbi consistebant, scribebatur: & si contumaces erant, publicabantur bona: deprehensi verò transmittebantur ad locum delicti. *l.1. & ibi glos. ff. de requir. reis. & § si vero quis. Authen. vt nulli iudic. & ibi glos. & Bart. Authen qua in prouincia. C. vbi de crimine agi & ibi Doctor.* Quapropter confugiebãt ad ecclesias & monasteria, *l. 1. & 2. C. de his q ad eccl. § si vero intra Auth. de monach.* quę securitas in hoc §. *sed neq;* à Iustiniano diminuta est. Hodie a. scissum est Imperiũ, & Iura Imperialia sunt quodãmodo, diuisa, in Duc. Comites,

Baro-

Barones, & Ciuitates, vt etiam testatur Accurs. *in rub. C. de stud. liber. vrb. Ro. & Iacob de Beluis. in pract. tit. de sententijs criminalibus, num. 10. Cepol. Cons. 59.* Et facilis est elabendi delinquentibus occasio, si egrediātur territoria, in quibus delinquerunt, quia transmissiones de consuetudine non seruantur. *Doct. in d. Authen. qua in prouincia & in l. 1. eo Bart. & Alex. in l. sepulchri violati. ff. de sepulchro violato. Bald. in l. 2. C. de seruis fugit.* & in multis aliis locis, *Paul cons. 423. nu. 9. libr. 1. in nouis. Iacob de Beluis. in rep. §. contrahentes. c. Romana. de foro compet. num. 113. Felin in c. fi. num. 11. eo. Hypolit. cons. 32 num. 9. lib. 1. & cons. 99. nu. 21. libr. 2. Cæpol cons. 59. col. 5.* Vel si confugiant ad Ecclesias. *c. reum. 17. q. 4. & ibi glos. c. inter alia. & ibi glos. de immunitate Ecclesiarum. Ferrariens. in forma. inquisit. verb. hæc est quædam. num. 31.* Aut ad monasteria prælatorum, quorū quædam in Germania in quibusdam locis, tanquam asyla habemus. *l. quid sit fugitiuus. §. apud Labeonem. ff. de ædilitio edicto.* Vt nō facile delinquentes comprehendi possint. Quare siue in delicta

Transmissiones eorum hodie nō seruantur.

eorum inquiratur, siue accusentur, solent citari, & dari eis fides publica, quæ & eis præstanda est: minimè enim perfidia & fraudibus, sed legitimis modis leges maleficia coherceri volũt. Quod autem quidam ad probandam contrariam sententiam, adducunt etiam, *l.1. §.3. ff. de dolo. & l. nihil. interest ff. de capt. & postli. reuer.* sanè ineptum est, cum illæ leges loquantur de belli solertia, & fallacia erga hostes vtenda, de qua & Virgilius scripsit Æneid. 2. Dolus an virtus, quis in hoste requirat? Et Beatus Augustinus inquit: Cum iustum bellum susceperit, vtrum apertè pugnet, an ex insidiis, nihil ad Iustitiam interest. *23. q. 2. c. dominus.* Et testantur, Decius *in l. ea est natura. ff. de Reg. Iur. Iason in l. si rem tibi. nu. 3. ff. de præscript. verb.* De data autem fide omnibus præstanda, nullum decet bonum virum dubitare, cum hæc naturæ sit lex. *l. 1. ff. de pactis. & l 1. ff. de constit. pecul.* qua nemo solutus est. *§. 1. & fi. Instit. de Iure naturali & ciuili. Iason in l. 1. ff. de pactis.* Rectè igitur Vlp. ait: Graue est fidem fallere. *in*

d.l.1.ff.de constit.pecul.& Augustinus *.in c. noli 23.q.1.* Fides quando promittitur, etiam hosti seruanda est. Ac Cyn. *in l. digna vox.C.de leg.* Nihil magis debetur homini,quàm pacta seruare,quod probat Bald.*Cons.371. lib.3. & in l.1.ff. de pactis.* ait: Fides hominibus seruanda, qua nihil maius inter homines. Accedunt his quæ docet Alber.*in d.l.1.ff.de constit.pecu.Decius in d.l.ea est natura Iason in d.l.si rem tibi.& in præiud.feud.num.28. Hypolit.singul.148.& cons.32.ad fi.lib.*1. Elegantissimè autem, hac de re, Cicero in primo,& tertio libro de Officiis disserit,vt etiam testatur Alciat.*in lib.1.de verb.sign. vers. Cæterum inimicitia etiam.* & inter cætera ait, Fundamentum iustitiæ esse fidem: & nullam rem vehementius Rempub. continere,quàm fidem, Eamque Romanos in Capitolio vicinam Iouis Opt.Max. esse voluisse. Atque etiam si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserunt,esse in eo ipso fidem conseruandam. Et in Oratione pro Q. Roscio dicit,Perfidiosum,& nepharium esse, fidem frangere,quæ

re quæ contineat vitam. Item Valer. Max. de fide Romanorum, lib. 6. ca. 6. ſcribit: Huius imagine ante oculos poſita, venerabile fidei numen, dextram ſuam, certiſſimum ſalutis humanæ pignus oſtentat, quam ſemper in noſtra Ciuitate viguiſſe, omnes gentes ſenſerunt. Et Mart. Laudenſ. de Conciliariis Principum, nu. 2. & de Principibus, n. 257. allegans eundem Valerium Maximũ, ſcribit: Tria fecerunt Romanos dominari, Sanum cõſilium ſecreta tenendo, Priuata paupertas, Et dictis ſuis pertinaciter inhærere, non frangendo fidem. Atq; à Iuda Macchabæo quoq; Romanorum fides laudata eſt, 1. Macchabæorum 8. Et idem Valer. Maxim. libro 2. capit. 4. de Priuata fide dicit Romano ſanguini fidem præſtare conueniens fuiſſe, nec licuiſſe fallere, vel decipere hoſtem, notarique hanc perfidiam à Cenſoribus. Ac de perfidia ait, lib. 9. cap. 6. Eius efficaciſſimas eſſe vires, mentiri, & fallere, & tantũ incõmodi humano generi afferre, quantum bona fides præſtet. Atque

Diòn, qui Romanã ſcripſit hiſtoriã, de Principe ait: Præter omnia ſit veritatis ac ſimplicitatis amicus, eamque vti
» regiam virtutem conſectetur, Aſtuti-
» am veró, ac fraudem vti ſeruilia putet,
» cui conuenit hoc Apollonii: Mentiri
» illiberale, Veritas generoſa. Et Iſocra-
» tes Orator ad Nicodem regem ita ſcri-
» bit: Quæ dicis, aut recipis te facturum, tanquam rem ſacram obſerua. Refert hæc Volatera. Philolog. lib. 28. & 30. Item Iouianus Pontanus, in libro de Principe ad Alphonſum ſcribit: Quæ promittas, & cui promittas, videto. In quo illud maximé conſiderandum eſt, quòd nihil turpius ſit, quàm fidem nõ ſeruare, cuius tanta vis eſt, vt etiam hoſti ſi data ſit, ſeruare tamen eàm oporteat. Et cum ſit fides, vt ab antiquis (Cicerone lib. 1. Officio teſte) definitur, dictorum conuentorumque conſtantia, & veritas, nihil antiquius veritate ipſa Principi eſſe debere, declarat id, quòd à maioribus noſtris ſapientiſſimè inſtitutum eſt, vt liber Euangeliorum, quo diuina continetur veritas,
die-

diebus singulis Principi osculandus offeratur, cum in re diuina adest, vt ex eo colendæ veritatis admonitus, meminerit studiosissimum se eius esse debere. Et postea: Totius Maiestatis fundamentum est, si tecum ita quidem viuas, vt minimè à te ipse dissentias, in omnibusq; tum dictis, tum factis fidem vt teneas, atque constantiam. Tum Ælianus lib. 14 de Principe Iudicum Ægyptiorum, scribit: Eum omnium hominum esse iustissimum, & syncerissimum oportebat, qui circa collũ imaginem ex Sapphiro gemma cõfectam gestabat, quæ vocabatur Veritas. Atq; Nigidius, vt refert Gellius libr. 11. inquit: Vir bonus prçstare debet, ne mẽtiatur: Prudens, ne mendacium dicat. Cum autem oporteat Magistratus, & Iudices, viros bonos, & prudentes esse, ipsos non mentiri, & aliorum cauere mendacia, necesse est. Et decet Heroas, & præstantes viros, non solùm non mentiri, sed & mendacia odisse, Quẽadmodum Dauid Psal. 101. canit: Non habitabit in domo mea, qui facit fraudem:

dem: & qui loquitur mendacia, nõ stabilis erit in cõspectu meo. Et Iustinianus *in Authen. vt in priuatis domib.* dicit: Veritatis solummodo sumus amatores. Ac in *Authen. de executoribus.* inquit: Calumniam odimus. Et apud Homerum ait Achilles, se perinde vt mortẽ odisse eos, qui aliud sentiunt, aliud loquuntur. Volateranus Philologiæ lib. 28. hoc carmine expressit:

Hostis enim ille mihi simul vsq; ad limina ditis.
Qui simulans aliud, menti contraria fatur.

Atque Pontanus de Obedientia li. 4. cap. 9. scribit: Apud Tyrannos veritas minimè tuta est. Regum autẽ propria est veritas. Eleganter quoque de fide seruãda Silius Italicus li. 13. scripsit:

Fœdera mortales ne sæuo rumpite ferro,
Sed castam seruate fidem: fulgentibus ostro.
Hæc potior regnis, dubio qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues spes liquet amici,
Non illi domus, aut coniunx, aut vita manebit
Vnquam expers luctus, lachrymaq;: aget æquore semper.
Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieq;,
Despecta, ac violata fides.

Equidem vnica clades Vladislai regis,

gis, qui persuasionibus Pontificis & Cardinalium, fidem rupit Turcę, omnes nos deterrere debet, à cauillationibus quorundam, qui ludere solent perfidia, & simulationibus. Huiusque exempli nos admonet etiã *Mart Laudens. de bello vers. 48.* Præterea nostri Doctores proponunt Principibus doctrinam Aristotelis, qui Alexandrum hortatur, vt fidem datá, & fœdera confirmata obseruaret, aliàs malum finem sequuturũ. Bald. & Iason *in l. 1. ff. de pact.* & Bald. *in c. 1. §. fi. de his qui feud. dare poss.* ait: In ore Principis veritas debet esse firmior. Et idem inquit: Variatio & inconstantia, in Principe & Rege præcipue, reprobatur: quia in Principe, tanquam in fonte iustitiæ, debet esse constans voluntas: & Principibus, & Regibus conuenit illud verbum; Semel locut⁹ est Deus, & quod scripsi scripsi: & ideo Princeps debet habere vnum calamum, & vnam lingeam, & nõ plures, quia scriptum est: Quę processerũt à labiis meis, non faciã irrita: debetque esse immobilis, sicut lapis angularis,

& polus in cœlo. *Bald. conſ. 327. n. 4. li. 1. Decius in l. nemo poteſt. n. 3. ff. de Reg. Iur. & in conſ. 580. n. 5. lib. 4. & in conſ. 689. n. 19. lib 5. Hypolit. conſ. 32. n. 29. lib. 1.* Teſtanturq́; Doctores ſub fide & autoritate Principis, & ſuperioris, aliquem decipi nephas eſſe. *l. 1. C. de his qui veniam ætatis. Zaſ conſ. 14. n. 32, & conſ. 15. nu. 48. & 142. lib. 1. Socin. conſ. 32. col. 8. Decius conſ. 51. lib. 1. Hypol. conſ. 32. ad fi. li. 1.* Deniq; tradunt Canoniſtæ, Violatorẽ fidei eſſe periurum. *Archid. 22 q. 1. c. in ſumma. Inno. in c. etſi Chriſtus. de iureiur. Anto. in c. tuis de teſtibus. Felin. in c. querelam. nu. 7. de iureiurando.* Et licet crimen periurii ſit graue in omni perſona, tamen in Principib⁹ eſſe grauiſſimum. *Innoc. in c. ad apoſtolicæ. de re iud. Laudenſ. de Principibus. n. 258. Iacob de S. Georg. de feud ver. Princeps. num. 18.* Neq; vero à violatoribus fidei prætexi poſſunt exempla Patrum, qui etſi aliquando quædam ſimulauerint, vel diſſimulauerint, in rebus dubiis, atq; aduerſis, propter iuſtam & honeſtã cauſam, fidem tamen ſi dederunt, ſeruarunt, nec mentiti ſunt. Mentiri enim

non

non ſolum eſt verum occultare, ſed occulta veritate etiam falſum dicere, & pacta, ac fidem datam non ſeruare. Et quidem, vt antea dixi, hoſtē cautè deludere poſſumus, data autem fides nihilominus ei eſt præſtanda. *c. quæritur. & gloſ. in c. nequis. 22. q. 2. c. noli. 23. q. 1. c. dominus. & ibi gloſ. 23. q. 2. Laudenſ. de bello verſ. 44. & Iaſon in d. l. ſi rem tibi nu. 3. ff. de præſcript. ver. Angel. in ſumma verb. Bellum. nu. 19.* Vt Ioſua, mandante Domino, fefellit ciues Hai. Ioſ. 8. Fidem autem ſeruauit meretrici Rahab. Ioſ. 2. & 3. Et Gabaonitis, qui deceperant Iſraël. Ioſ. 9. Item Dauid fefellit Achis Regem Geth. 1. Reg. 21. Fidem autem cuſtodiuit Semei ſeditioſo, & maledico. 2. Regum 19. Nec veterum exempla ita cōmunia ſunt, vt ab omnibus poſſint, vel debeant imitari. *c. ſi quis 22. q. 1.* Vt Eliſęus non tentauit facta Heliæ ſequi, niſi priùs accepto ſpiritu Heliæ. 4. Reg. 2. Et cum Apoſtoli Heliæ exemplum ſequi vellent, redarguti ſunt à Domino, Lucæ 9. Plurima etiam Patres fecerūt, ſingulari mandato, vel inſpiratione di-

uina.*c.si quis.&gloss.in c.nec artificioso.22.q.2.* Quare omnibus suo loco, siue priuata, siue publica persona sit, fides non minus quàm vita custodienda est. Et perfidus, ac impius est, quisquis ille sit, & quocunque titulo infletur, si datam fidem non præstet: & nepharium atq; scelus est, legibus, vel decretis prætextus perfidiæ confirmare, atq; bonum malum, & malum bonum dicere. Veritatem enim & candorem, fidemque sacrosanctam, & sartam tectam, tam in priuata, quàm in publica vita, & præcipue in doctrina, legibus, & Canonib. custodire, tueri, & colere, natura dictat, & lex diuina mandat, vt Leuit. 19. scriptum est: Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum. Et Dauid Psal. 5. Perdit mẽdaces, sanguinarium & subdolum abominatur Dominus. Et Psal. 14. Is habitabit in tabernaculo tuo Domine, & habitabit in monte sancto tuo, qui ex corde loquitur veritatem, & non egit dolũ in lingua sua. Et psal. 33. Prohibe linguã tuã à malo, & labia tua ne loquantur dolũ.

Et

Et Psalm. 62. de sycophantis aulicis inquit: Student mendacio, ore benedicunt, corde autem maledicunt. Et Psa. 50. de impiis ait: Os tuum abūdat malitia, & lingua tua concinnat dolos, Sedēs loqueris aduersus fratrem tuum, & filiū matris tuæ calumniaris. Itē Salomō Prou. 6. 8. 12. 19. Abominatur Dominus mendacia labia, at veraces placent ei. Itē, veraces iustitiā palā faciūt, Mendax testis fallit. Et ca. 14. Verax testis liberat animas, & mendax decipit. Et c. 17. Nō decet Principē sermo mēdax, seu sophistica. Itē Malachias ca. 1. Maledictus dolosus. Atq; D. Paulus, 1. Timoth. 1. docet, Mendacia aduersari sanæ doctrinę. Et Ephe. 4. ait. Deponētes mēdaciū, loquimini veritatē, vnusquisq; cum proximo suo: Itē D. Petrus, 1. Pet. 3. ait: Qui vult vitā deligere, & videre dies bonos, coherceat linguā suā à malo, & labia sua ne loquātur dolum. Et quid multis, ipse filius Dei, qui est veritas, ait, Diabolū ab initio esse mendacem, & patrē mendacii. Ioann. 8. & D. Paul. 2. Corint. 11. eum simulatorem descri-

deſcribit,&tales eſſe eius miniſtros teſtatur. Atque pulchrè de Iuda Sedulius cecinit: Pacem ferebat oſculo, Quā non habebat pectore. Comprehendit autem ſacra ſcriptura, ſub mendaciis, dolos, fraudes, calumnias, deceptionet, cauillationes, fucos, impoſturas, ſtrophas, & omnem ſophiſticam hypocriſin, & orationis vanitatem. Ac ſub veritate, ſimplicitatem, candorem, ſinceritatem, conſtantiam, & omnem integritatem, & apertum ſermonem. Itaque multis modis in Deum, & Rempublicam peccant, qui fidem, & ſecuritatem promiſſam, non ſeruant: Nam mendaces & doloſi ſunt contra mandatum Dei. Et malum facere volunt, vt bonum eueniat, contra præceptum Apoſtoli, Rom. *3. c. primum c. ſi quis 22. q. 2. gloſ. c. fortè. 14. q. 5.* Verumenimuerò illi cum miniſterium, iudicium & perſonam Dei, veraciſſimi Magiſtratus, & Iudices gerant. 2. Paralip. 19. Pſalm. 82. ad Rom. 12. agunt miniſterium, iudicium, & perſonam diaboli, patris mēdacii & ſimulationis. Ioā. 8. 2. Cor. 11.
Hinc

Hinc Bal. *c.1.§.2.de noua forma fidelitatis.* ait: Quicquid Princeps facit, vt Deus facit, Deus autem est ipsa veritas, ideo non fallit. Et Pythagoras interrogatus, quidnam homines potissimum simile diis facerent? Cũ vera, inquit, loquuntur. Refert Volater. Philologiæ lib. 28. Tum peruertunt fidem fluxam habẽtes Iudices, in coercione ordinata à Deo media, puta simplicem & erectam viam Iustitiæ, cum nectunt dolos, & fraudes. Præterea diffidunt Iustitiæ & potentiæ Dei, quasi non eo vindice, suæ semper maneant pœnę sceleratos. Deus, & leges solum perspecta, & bene cognita scelera punire mãdant. Deut. 25. *l.fi.C.de probat.l.semper in dubijs.l.factum ff. de reg.iur.l absentem.ff.de pœnis.* Et Iudicio Dei, quemadmodum indies videmus, & si peccata aliquandiu celentur, sera tamen, vt pulchrè inquit Tibullus, tacitis pœna venit pedibus. Hinc natum est apud veteres Prouerbium. Veritatem temporis filiam esse. Gellius lib. 12. cap. 11. Item exemplo sunt pessimo alijs, quemadmodum Salomon

lomon ait, Prouer. 29. Si Princeps delectatur mendacio, impios tādem ministros habet. Et Oseas 4 Qualis Sacerdos, talis populus. Et Gregorius *ca. præcipue 11. q. 3.* Scire p̃lati debent, quòd si peruersa vnquā perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt Et Plato ac Isocrates, vt refert Volateranus Philologiæ lib. 30. Tales solent esse ciues, quales in Republica Principes. Et Cicero de Legibus: Perniciose merentur de Republica vitiosi Principes, quòd non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem: neque solum obsunt, quòd illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quòd corrumpunt, plusque exemplo, quàm peccato nocent. Item Claudianus.

Scilicet in vulgus manant exempla regentū.

Deniq; sub specie iustitiæ, inuidiæ, & odio contrā publicam vtilitatem indulgent, cum nullus, vel vno decepto, crederet posthac Iudicibus. Quod & Iason *in l. conuentionū. ff. de pactis.* attigit. Accedit quod historiæ testātur, pios & opti-

optimos viros, ſub nomine hoſtium, & hæreticorũ, ſpreta fide publica, miſerè necatos eſſe. Quare patroni p̃fidiæ digni eſſent, qui ad Indos deportarentur, apud quos vnos, impunè olim erat fidem violare: & filius Dei, qui eſt veritas, eos iudicabit.

Ex his quoque apparet, quàm longe à boni viri officio aberrent, qui docent fidem datam non eſſe ſeruandam proſcriptis vel Bãnitis: vel Iudici p̃mittunt, reo, cui impunitatem, ſi delictum cõfiteatur, vel prodat ſocios, p̃miſerat frangere fidem. Canoniſtę *in c. vtilẽ 22. q. 2.* & alibi Paris de Syndicatu, *verb. & aduertendũ eſt. fol. 254. & verb. ſequitur. fol. 30.* (vbi tamen fatetur quã periculoſæ ſint tales ſimulationes) Alciat⁹ de *præſumpt. reg. 3. præſump. 27.* (Vbi in auctario reprehenditur) *& in reg. 3. præſump 33. ad fi.* Et ideo rectius ſanctiuſque ſentire, & cõſulere vidẽtur, q omnino reis fidem ſeruandã eſſe aſſerũt, ſi eis venia p̃miſſa ſit, ſi delicta confiteantur, vel ſocios oſtendant. Imola *Conſi. 109.* Dec. & Ferra. *in d. l. ea eſt natura. ff. de regul. iuris.*

Hypolit.

Hypolit. in l. 1. §. quæstionib. num. 15. ff. de quæst. & in singulari. 177. & 201. & in rep. Rub. C. de probat num 115. & cons. 14. ad fin. lib. 1. Bald. in l. libertas. ff. de statu hominum. Iacob de Beluis. in pract. sub rub. de quæstionibus num. 139. Vbi etiam successorem censet obligatum promissione sui prædecessoris. Accedunt quæ docet Iason *in l. conuentionum. n. 5. ff. de pactis.* Cuius tamen decisio posterior altiorem requireret indagationem. Atque Felin. *in c. afferte. not. 1. de præsumptionibus.* ait: Vidi aliquos Iudices, qui execrantur talem simulationem, &, vt ex Fel. ibidem patet, perpetuò fluctuantes Canonistæ, ipsi fatētur, conscientiam fallentis non esse liberam. Item Bannitis Securitatem promissam omnimodo seruandam esse, etiam constitutione publica, de pace confirmatum est, & probat Bart. *in d. l. illicitas. §. ne potentiores. in fi. ff. de off. præsid. Old. vt refert Alber. in 4. parte statutorum. q. 39. Hypolit. cons. 9. nu. 22. lib. & cons. 106. ad fi. lib. 2.* etiamsi eis solùm nomine Gubernatoris promissa, & persuasa sit. *Hypolit. cons. 32. volu. 1.*

quia perpetuum est, non solùm neminem sub autoritate, & fide publica, vt supra dixi, sed & vllis promissionibus, decipiendum & fallendum esse. *c. super. & c. sane. & ibi gloss. de renunciat. & gloss. in l. Item in principio. ad fi. ff. locati. Imola. Cõsil. 109. nu. 2.* Ita autem seruanda est promissa Securitas, vt ei cui promissa est, omnia tuta, & salua sint. Nam si in causis pecuniariis, is demum securus dicitur, cui nihil timendum est. *gloss. l. mandatu. §. fi. ff. mandati. Bolog. in d. Authen. habita. num. 49. C. ne filius pro patre.* & qui habet efficacem, & inexpugnabilem Securitatem. *Bald. in l. 1. in fi. C. si aduers. solut.* multò magis in causis maioris periculi, & vitæ. Et rectè Corsetus *in sing. verb. Securitas.* ait, Eum qui Securitatem promittat, hoc efficere debere, vt is qui eam accipit, nulla ratione lædatur. Et Angel. *in l. Papinianus. § si quis mortis. ff. de officioso testamento. & Consil. 363. & Signorol. Consil. 103.* docent, Eum cui promissa sit Securitas, nullo modo, vel directè, vel per indirectum vexari debere. Et Salicet. *in l. reos. vers. expeditis con-*

trariis.C.de accusat. ait, Per literas salui conductus, à Iudice datas, plene tolli causam timoris. Quę omnia etiam approbat, latiusq; explicat Zas. Cons.14. & 15. lib.1. & tandem concludit imperfectam Securitatem nihil esse, oporteteq; eam plenam esse, & perfectam.

Secundò, Saluus cõductus, vt dixi, non tollit quidem pœnã, vel Bannum, sed suspendit, vt docet Signorol. *Cons. 103. & Paul. Cons. 34. & Decius Consil. 327. lib.3. nu.3. & Oldra. & Alber. in 4. parte statutorum. q.39. & Nellus de Bannitis. 2. parte 2. temporis. q.15.* Nam suspensio temporalis, ad suum tempus eundem habet effectum, quem liberatio, in perpetuũ. *l. sufficit. ff. de condict. indeb. l. si tibi mandauero. ff. mandati. Alber. q.89. parte 4. statu. l. hos accusare. §. hoc beneficio. ff. de accus. l. aut priuatim. ff. ad Turp.* Atque Constitutio de pace publica, quoque ait, Dato saluo conductu, Bannũ suspendi, quasi nunquam pronunciatum sit.

Rectè ergo dicitur, eum qui occidit Bannitum, quem alias occidere liceat, habentem saluum conductum, plectẽdum

dum capite, tanquam non Bannitū occidisset. *Hypol. d Cons. 9. lib. 1.* nisi forsitan ignorauerit Saluum conductum. *Tancred. in practic. de statutis. q. 8. nu. 17. Bald. in l. libertas. ff. de statu hominum. & Cons. 9. li. 3. Paul. in l. si duo. ff. de acquir. hæred. & Cons. 32 & Cons. 194. Alex. in Consil. 114. lib. 1. & Consil 65. lib. 3. Iason in l. Creditoris. C. de fideicommiss.* Quo tamen casu propter culpam, arbitrio Iudicis, extra ordinē punitur. Iuxta dicta Bart. *in l. fin. ff. ad l. Iul. de adult.* & hoc asseruit Bald. *Cōs. 142. lib. 4. Alex. Consil. 77. li. 3. Nel. de Bannitis 1. part 3. temporis. q 2. Decius Consil. 327. ad fi. lib 3. Ias. in l non solum § morte nu. 35. ff. de op. no. nunc. Hyp. Cons. 55. num. 7. lib. 1. Paul. Cons. 194.* Vbi tamen nimirum restringere videtur hanc doctrinam, vt apparet ex his quoque, quæ ipse docet, *in d. l. si duo. ff. de acquir. hær. & Alber. 4 parte. q. 37. ad fi.* Superiorque opinio & communior & verior est.

Tertiò, etsi Canonistæ moneant, ꝓmissis Securitatibus non facile fidendum esse, *in c. accedens. 2. vt lite non contestata. & c. parte. 1. de Appellat. Io. Andr. ad* *Securitatibus non nimis fidendum.*

Spec.de accusat.§ sequitur.vers. quid si Bannitus. Vt& Alcibiades accitus ab Atheniensibus è Sicilia, vt diceret causam capitis, abdens sese, dixerat, eum esse fatuum, qui vocatus in Ius, quærat elabi, quum liceat vitare ne eat. Atq; vulgo dici solet, Extra carceres commodius pacisci: tamen omnino venire debent, quibus promissa est, vel patet fides publica, nisi fortè adeo fragilis esset cautio, seu promissio, vt periculum corporis vitæque non esset sublatum, nimirum propter capitales inimicos, & hostes, quibus omnino non queat fides haberi, vt testantur Hostiens. & Imola. *in d c. accedens. 2. gloss. & Io. And. in c. statutum. § . cum verò de rescriptis in 6. & gloss. in Clement. pastoralis. §. nunquid. de sen. & re iud. Cateldin. de Syndicatu nu. 91. Alex. in l. apud Iulianum. § . non omnis. ff. ad S.C. Trebellia Iason Consil. 86 lib. 3. num. 13.* Exemplo est Tryphon, 1. Macchab. 12. Vel propter ipsius Magistratus, vel Iudicis, eiusue familiæ inimicitias, & tyrannidem, vt qui consueuerit fidem datam violare, & Ius legesque contemnere.

nere Io. And *in d. §. sequitur. Felin. in ca. cum R. Canonicus. de offic. delegati. & in d. c. accedens. 2. Imola. in l. pe. §. ad crimen. vers. tertio casu. ff. de pub. iud. Alex. in d. §. non omnis Iason in l. 2. §. quod diximus ff. si quis cautio. & d. Consil. 86. li. 3.* qualem Iudicē describit Christus, Lucæ 18. & Hypol. *in l. vnoquoque nu. 151. ff. de re iud.* Et huic ordini ascribo omnes, qui cuiuscunq; delicti ergò fidem non præstandā censent. Infidis enim qui non credit, magis prudens quàm inobediens est. Vnde Cicero ad Q. Fratrem de petit. Cōsul. ita scribit: Quamobrem Ἐπιχάρμειον illud teneto, neruos atque artus esse sapientiæ, non temere credere. Et idē pro Planc. Hæc illi soleo præcipere, quæ ille à Ioue ortus suis præcepit filiis Vigilandum est semper, multæ insidiæ sunt bonis. Vbi autem locus non est tutus, apud iustos Magistratus, ratione delicti, propter quod quis vocatus est, vel ratione Bāni, nullus excusatur, si sibi datur saluus conductus, quia cōparere debeat. *Angel. in d. disput. qu. 5. & Salicet. in l. reos. C. de accusat. Alex. in l. de ætate.*

tate.nu.5.& in d.l.apud Iulianum §.non omnis.ff.ad S.C.Trebellia.Felin.in d.c. accedens.2.n.4. qui allegant Bald. *in l. omnes, §.sin verò.C.de Episc.& cler.* Vbi ait: Imputet hoc sibi delinquens, alias posset quisque, qui deliquit, prætendere locũ sibi non tutum esse, quod esset ridiculum, Ideoq; cõparere tenetur. Et Domini de Rota *decis.315.* sub tit. *de iudiciis, & dilat.* rectè iudicant, tales excusationes nimis vagas & generales esse. Atq; plane dubium non habet, neminẽ excusari à contumacia, si saluus conduct⁹ consueuerit, vel potuerit à Iudice impetrari. Domini de Rota. *d. decis.315. Imola.in d.l.penult.§.ad crimẽ.ff.de pub.iud. Aretin.Cons.16.col.2.* Salicet.Alex.&Felin.in locis paulò antea demonstratis. Argumento etiam sunt ea, quæ docet Bart.& Imola. *in l.quibus diebus.§.1.ff. de condict.& demonstrat.* Et ex his quæ iam, & in sexta quæstione dixi, facilis diiudicatio est formulæ salui conductus, in Saxonia, in causis capitalibus consuetæ, & in Carolina cõstitutione, de Iudiciis, approbatæ, puta, Damus tibi fidẽ publi-

publicam, causam dicendi in iudicio, cōtra vim, non tamē contra Iuris executionē. Quòd si Iudex reo, seu delato, ad sui defensionē hac forma cōtra vim Securitatē promittat, seu, vt Liuius loquitur, fidē dederit, vim absuturā, donec causam dixerit, nō habet is vllā iustam excusationem, si tutus esse depoposcerit, cōtra sententiarū quoq; executionem. Nam ad defēsionem innocentiæ, & minimè ad impunitatem, & licentiam delinquentiū, fides dāda est publica. *d. §. sed neq;. ad fi. Authen. de mādat. Prin.* Et maximè hæc forma locum habet, diuiso Imperio, cum alias data generali fide publica, contra legū præcepta, elusoria forent Iudicia. *l. si prætor. ff. de iud. & l. fi. ff. ne quid in loco publico.* & crimina impunita forent. *l. si ita vulneratus. ff. ad l. Aqui. l. si a reo. § fi. ff. de fideiuss. l. Stichum. § tametsi. ff. de solut. l. Bona fides ff. depositi.* Atq; de hac specie loqui Alber. *in 4. parte statut. q. 39.* nō obscurè ex eius verbis apparet. Loquitur n. de Bānito, qui petiit Saluum conductum ad subeundam veritatis inquisitionem, &

ad ſuæ innocentiæ defenſionem,& ait eum ad tempus in ciuitate tutum, ex permiſſione iudicis, permanere poſſe: & paulò poſt addit, eum etiam poni poſſe in vincula, ſi criminis qualitas exigit: quod intelligi oportet, ſi Iudicis præceſſerit ſententia. Cauendum eſt enim, ne ante ſententiam manus iniiciantur eis, quibus hac forma data eſt fides publica: quia ante ſententiam tuti eſſe debent ab omni moleſtia, & pleniſſimam habere Securitatem, vt clare conſtat ex his, quæ ſupra copiosè ſcripſi. Quòd ergo quidam docuerunt, nõ facile fidem habendam promiſſionibus ſecuritatis, eodem errore factum eſt, quo Iudicibus perſuaſerunt, eis liberum eſſe, ſeruare, vel violare ab ipſis datam fidem, quod alienum eſſe debet à quouis homine, & multo magis à viro bono. Nam vt promiſſam fidem nõ fallere, ita viciſſim eidem non diffidere conuenit. In quo ſane per quam illuſtre exemplum extat apud Galeacium Capellam, lib. 8. de Franciſco Sfortia Mediolanenſium Duce, qui cùm ac-

cepto à Cæſare Carolo V. fidei publicæ diplomate, Bononiam ad pacificãdum cum eo profectus eſſet, vbi primum ad conſpectum Cæſaris venit, orationemq; habuit, reddidit ei diploma, nulli ſe rei magis confidere quàm benignitati clementiæque ipſius dicens. Nec eum fiducia ſua fefellit. Nón autem loquor iam de iis, qui ipſi fidem non ſeruant. Nam frangenti fidem, fidem frangere licet. *l. cum proponas. C. de tranſactio. & ibi Doct. & in d. l. conuentionũ ff. de pactis.* & in aliis locis, in principio libelli allegatis. *Specul. de Actore verſ. Item quod Actor.* Atque Ouidius inquit.

Iudice me fraus eſt, conceſſa repellere fraudē.
Armaq; in armatos ſumere, iura ſinunt.

Quartò de pœna dicendum eſt eorum, qui iis, quibus data eſt fides publica, vim inferunt, vel alios afficiunt iniuriis. Et quidam docent Securitatem promiſſam ſcienter violantem, id eſt, dolo malo iniuria afficientem eos, qui fide publica veniunt, incidere in pœnam criminis læſæ Maieſtatis, maximè ſi à Principe conceſſa ſit. *Bart. in l. 3. §.*

fi.ff.ad l.Cornel.de ſicar. Angel. in l.vtimur. ff.de ſepulchro violato. Laudenſ. de crimine læſæ maieſt. verſ.6. Paul. Conſil.34. in antiquis. quod eſt in nouis. Conſil. 199. lib. 1. & Conſil.423. numer.9. lib. 1. in nouis. Vel ſaltem in pœnam fractæ pacis: *§. ſi quis hominem. de pace tenenda, & eius violat. Io. Fabri. in d.l. denunciamus. C. qui ad eccleſias confug.* Sed tum multis modis Securitas violari poſſit. Io. Fabri. *in d.l. denunc. deciſio delphi. q.418. Guilhel. in d. §. ne potentiores. Angel. Conſil. 363.* nec certa pœna ſit legibus conſtituta, rectius ſentire mihi videntur, qui iudicãt arbitrio Iudicis, ſecundum ſtatum perſonarum, qualitatem delicti, & magnitudinem contemptus dati ſalui conductus, violatores eius puniri poſſe. *l.1. ff. de effracto. & expil. l. hodie. l. ſanctio legum. ff. de pœnis. deciſ. delphi. q.418.* Hoc autem ſic accipiendum eſt, omne delictum, ſiue publicum ſiue priuatum ſit, legibus communibus, vel certis conſuetudinibus coherceri, atq; Bannitos propter ſaluum conductum, tanquam nunquam Banniti fuerint habendos eſſe, vt ſuprà expli-

explicaui. Tum ipſum contemptũ datæ fidei publicæ, qui magna eſt erga magiſtratus iniuria, grauiter vindicandũ. *l. 1. ff. ſi quis ius dicenti non obtemp.* Nã offendentem eum qui habet ſaluum conductum, non ſolum delinquere in eum quem offendit, ſed & in illum, qui conceſſit ſaluum conductum. Nellus *de Bannitis. 2. parte. 2. temporis. q. 16.* & ideo pœnam augendam eſſe. Guilhel. & Bart. *in d. l. illicitas. §. ne potentiores. ff. de offic. præſid.* Sed quę Doctores de *l. 1. ff. ad l. Iulia. maieſt.* dicunt, extra rem ſunt, quia Iuriſconſultus clare de Securitate populi loquitur. Vtputa ſi quis contra populum, magiſtratuſue eius excitet, vel moueat hoſtes, ſeditiones, tumult⁹, quibus in periculum veniãt. Quo ſenſu & Cato vtitur, ad Ciceronem, epiſt. famil. 5. li: 15. aiens: Inſtituto itinere ſecuritatem, diligentiamque ſociis & Reipublicæ præſta. Budæus *in d. l. 1.* *Guilhel. in d. §. ne potentiores. numero 32.* *Guido. d. quæſt. 418. in deciſ. delphi.* Et ſi quis forſitan diceret, violantem promiſſam Securitatem, crimẽ maieſtatis commit-

committere, exemplo eius, qui Securitatem ſacrorum locorum violauerit. *l 2. C. de his qui ad Eccleſ. confug.* tamen legatorum exemplum, qui gentium moribus, & ciuilib9 legibus tuti ſunt, item ſtudioſorum, qui etiam præ aliis ſunt in tutela Imperatorum, & Principum, in priori me retinent ſententia. Nam ſi quis legatis Principis iniuriam fecerit, tenetur lege Iulia de vi publica. *l. lege Iulia. ff. ad l. Iulia. de vi publ. & ibi Bar. Laudenſ. de legat. Princip. num. 5.* Et ſi quis hoſtium legatis iniuriam fecerit, hoſtib9 traditur. *l. fi. ff. de legationibus.* Laudenſ. eodem libello, nu. 12. Et ſi quis iniuria affecerit ſtudioſum, in reb9 ſuis, in pœnam quadrupli, & infamiæ incidit. *Authen. habita. C. ne fil. pro patre.* Si in corpore arbitrio Iudicis punitur, vt docet Bald. ibidem. Atque crimen læſæ maieſtatis ab Imperatoribus poſteriori-bus, alias quoque improprie accipitur. *l. 1. & ibi Iaſon C. vt omnes. Iudices, tam ciuiles quam criminales.*

VLTI-

VLTIMA QVÆSTIO.

VLtimo quæritur, Quando promissio Securitatis extinguatur? Et quidem si in determinata ad indeterminatam petitionem, vel si determinata ad certam causam, seu ad certum actum, seu ad certum tempus promissa sit, suos habet fines, qui supra in sexta quæstione explicati sunt. Sed sunt & alii modi, quibus fides publica finitur, seu soluitur, puta si accepta fide publica, quis nouum committat delictum, quia propter hoc puniri posset, & offendi. *Angel. de malefi. verb. fama publica. q. 5. Angel. l. 1. §. 2. ff. de dolo. Roman. l. 3. §. si quis seruum. ff. de acquir. possess. Nellus de Bannitis. 2. parte 2. temporis. q. 16. & 17.* Vbi ait, promissionem Securitatis tacitam habere conditionem. Et vulgo dicitur, Qui fidem accepit publicam, nihil contra eam committat, id est, ipse quoque non perturbet pacem publicam. Et licet si Bãnitus se defendendo, offendentem occiderit, Saluũ conductum, quem acceperat, rupisse non intelligatur, Nellus in loco iam

allega-

allegato, tamen propter culpam & excessum punitur. *Nellus 2. parte temporis. q.49. Doctores in l. vt vim. ff. de iust. & iure Bald. in c. 1. §. si quis vero nu. 8. de pace iura. firm.* Tum extinguitur Securitatis præstatio, quam saluam gardiam appellãt, à Rege data, morte ejus, vt docet *Io. Fabri in l. mandatum. nu. 8. C. mandati.* Et si autoritate Iudicis, Bannitis, licentia reuertendi, pœna seu Banno non sublato, concessa sit, morte, & deficiente potestate concedentis, finitur, & expirat, *Bald in l. 1. nu. 2 C. de postulando. Argumento l. si certarum in fi. & ibi gloss ff. de militari testamento:* de quo & supra in tertia quæstione dixi. Idem est, si Securitas promissa sit ad arbitrium dãtis, donec voluerit, per communem doctrinam Bar Paul. Imol Alex. Iason & Zasij, *in l. centesimis §. fi. ff. de verb. oblig. & Hypolit. super rub. C. de probat. nu. 251. argu. l. 4. ff. locati. & l fi. ff. de pœnis.* Si autem promissio Securitatis relata fuerit ad dignitatem, puta, donec Magistratui, vel Iudici placuerit, cum dignitas nõ moriatur morte promittentis, non concidit

dit fides publica. *l. proponebatur. C. de iud.* Iuxta doctrinam Bart. Iason & Zasij, *in d. l. centesimis. § fi. Decii, Cons. 108. nu. 4. lib. 1.* Similiter si à Principe, seu Iudice, promissa sit Securitas, donec reuocet, morte dantis, vel eo discedente ab officio, non sublata est, sed requiritur expressa reuocatio successorũ. *l. 4. ff. de manumiss. vindict.* secundum doctrinam Alex. & Iason. *in d. l. centesimis.* & Bald. & Salicet. *in l. fin. C. de contrah. empt.* Decij *Consil. 108. lib. 1.* Et hoc argumento ab iis, qui certis confiniis adiudicati sunt, ad eos, quibus Securitas promittitur, vtitur etiam Bald. *in d. l. 1. C. de postul. & in Consil. 9. num. 3. lib. 3.* ac oppositorum eadem est ratio & doctrina. Hæc sunt quæ de fide publica, & promissionibus Securitatis succisiuis horis collegi & composui. Vt autem ea benigni Lectores boni consulant, & eodem candore excipiant, quo nos impartiti sumus, maiorem in modum oramus. Soli æterno Patri, per Christum, sit gloria.

FINIS.

INDEX

INDEX LOCORUM ALIQVOT MAGIS
memorabilium, ex superiore libro decerptorum.

Fidei

FINIS.







